

non de violentia secundum quid quam quis vincere possit, si resisteret quantum moraliter potest.

Probatur conclusio. Voluntarium est a principio intrinseco et consequenter secundum inclinationem; violentum est a principio extrinseco et contra inclinationem passi; definivimus enim illud « id quod est a principio extrinseco, passo renitente. » Ergo quod est violentum non est voluntarium.

Ex his colligunt communiter authores mulierem vi oppressam a viro cui et interius et exterius resistit, quantum moraliter potest, nullatenus peccare, quia hæc violentia perimit omnino voluntarium, sine quo non est peccatum.

Si autem *quæras* quid et quantum facere debeat mulier, ut censeatur resistere quantum potest moraliter, sicque pati violentiam absolutam et simpliciter dictam.

Resp. imprimis non posse occidere oppressorem; quia, ut dicimus *de Jure et Just.*, dissert. X, a. 6, § 2, pudicitia est bonum inferioris ordinis ad vitam hominis. Potest autem resistere clamoribus, pugnis, alapis, læsione oppressoris, non tamen lethali, et similibus, atque ad hæc tenetur, citra tamen periculum propriæ vitæ et famæ; quia, si subsit hujusmodi periculum et aliunde absit periculum interioris consensus libidini, non tenetur cum tanto detrimento honorum superiorum resistere exterius; quia resistere exterius est præceptum affirmativum quod non obligat pro semper, et cum tanto dispendio. Dixi, « modo absit periculum consensus interioris libidini, » quod cum raro absit, etiam raro non tenetur hæc adhibere cum periculo vitæ aut famæ.

[Nimis absolute negat *Author* quod, in casu proposito, liceat mulieri etiam oppressorem occidere.]

Communiter tenent theologi licitum esse occidere invasorem injustum rerum fortunæ, « si sint magni momenti, et non possint aliter aut defendi aut recuperari quam per mortem diripientis, » ut ait *Sylvius*, in 2^{am} 2^e, q. 64, a. 7.

Et idem tenent multi a *S. Ligorio* citati, lib. IV, n. 383, et hoc habent saltem ut probabilius *card. Gousset*, n. 617, et *Gury*, n. 397. Atqui pudicitia, et præsertim virginitas, in se spectata, multo præstat bonis fortunæ. Ergo a fortiori licet occidere aggressorem, si nulla alia via suppetat ad pudicitiam servandam. Ita authores prædicti.

Aliunde quisque tenetur periculum proximum peccati mortalis avertere. Atqui, in casu, mulier constituitur in periculo proximo consentiendi libidini alienæ, qui consensus esset peccatum mortale. Ergo non tantum potest, sed et tenetur illud periculum avertere, etiam occisione aggressoris.

Si *dicas*, unumquemque teneri præferre salutem æternam proximi proprio bono temporali, *respondeo* : 1^o Aggressor seipsum libere et scienter conjicit in periculum salutis, et non potest exigere ut mulier renuntiet bono etiam temporali, quod multum præstat cæteris bonis ejusdem ordinis, ad avertendum ab homine criminoso tale periculum quod est volitum saltem in causa. 2^o Mulier, si vim non repellat omni modo possibili, constituitur ipsa in periculo ejusdem generis, nempe consentiendi libidini et amittendi per peccatum mortale vitam supernaturalem animæ. Atqui non tantum non tenetur, sed nequidem potest licite salutem alterius propriæ saluti anteferre. Ergo. Unde *S. Antoninus* dicit in *Summa*, part. III, tit. 4, c. 3, § 2 : « Mulier utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur saluti suæ providere, quam alienæ; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem voluptatis. »

Concludendum est ergo, contra *Authorem nostrum*, hanc violentiam non perimere omnino voluntarium, quia ceaseri non potest omnino involuntarium quod non removetur omnibus mediis possibilibus et licitis.]

ARTICULUS IV

Utrum metus causet involuntarium?

Metus definitur in Jure : « Futuri et instantis periculi causa mentis trepidatio, » id est, inquietudo et perturbatio. Alius est gravis, alius levis. Gravis, alius absolute gravis, quo nempe timetur malum grave et imminens, ut mors, exilium, durus carcer, etc., dicitur cadens in virum constantem, id est quo viri aliunde constantes passim moventur, licet quandoque moveri non deberent; nemo enim quovis metu deberet moveri, v. g., ad pejerandum. Alius respective gravis, quo licet non moveretur vir constans, moveretur tamen meticulosus, ut puer, femina, senex. Levis est quando timetur leve malum, aut grave quidem, sed non imminens; ut si, sereno caelo, vel stringente gelu, timeas fulmen. Ad metum absolute gravem revocatur metus reverentialis, quo quis sibi timet superiores graviter infensos et minantes. Quod si absint minæ et gravis indignatio, potest dici levis, nisi forte respective ad filias-familias, quibus est genium meticulosum.

Dico 1^o : Quæ fiunt ex metu, sunt mixta ex voluntario et involuntario ¹.

Prob. conclusio. Ea quæ fiunt ex metu, secundum se considerata, non sunt voluntaria, imo sic sunt involuntaria; fiunt autem voluntaria et volita ex metu, ad vitandum scilicet malum quod timetur. Hoc totum patet in vulgari exemplo. Mercator, considerando merces secundum se, secluso periculo naufragii, nollet eas projicere; orta autem tempestate et instante periculo mortis, vult eas projicere. Ergo.

Dico 2^o : Quæ fiunt ex metu, sunt voluntaria simpliciter, et involuntaria secundum quid ².

Probatur. Illud quod est voluntarium hic et nunc, pon-

1. Hic a. 6. o. — 2. Ibid.

deratis omnibus circumstantiis, et involuntarium tantum secundum se consideratum et præcisum ab hic et nunc, seu a circumstantiis individuantibus, est voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid. Atqui quod fit ex metu, est voluntarium hic et nunc, attentis omnibus circumstantiis, et involuntarium tantum secundum se consideratum et præcisum a circumstantiis. Ergo. — Min. patet in projectione mercium in mare, metu naufragii.

Confirmatur. Quod fit ex metu, est volitum absolute et efficaciter, et nolitum ineffaciter et conditionate tantum : sic mercator, ingruente tempestate, vult absolute et efficaciter projicere merces, quas nollet projicere, si abesset tempesta. Atqui quod est volitum absolute et efficaciter, nolitum ineffaciter et conditionate tantum, est voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid. Ergo.

Ex dictis colliges, 1^o contractus initos ex gravi metu esse jure naturæ validos. Quidam tamen irritantur jure positivo : de quo dum de contractibus.

Colliges 2^o metum gravem in iis quæ sunt intrinsece et invariabiliter mala, seu, ut dicitur, prohibita quia mala, non excusare a toto peccato, quia remanent simpliciter voluntaria. Hinc qui metu mortis fidem negat, perjurat, fornicatur, etc., peccat mortaliter. Excusat tamen a tanto, et eo magis quo gravior est metus, quia minuit voluntarium.

In his vero quæ non sunt intrinsece mala, sed mala quia prohibita, metus gravis regulariter excusat a toto, non quod non sint simpliciter voluntaria, sed quia leges positivæ, sive divinæ, sive humanæ, ex intentione suorum legislatorum non obligant regulariter cum tanto dispendio. Unde hujusmodi opera quæ non sunt mala nisi ratione legis, cessante obligatione legis, cessant esse mala. Hinc qui metu mortis vel gravis infamiæ, aut alterius gravis mali, non jejunaret in Quadragesima, non audiret sacrum die festo, etc., non peccaret.

Dixi, « regulariter, » quia quandoque leges positivæ, sive divinæ sive humanæ, obligant etiam cum dispendio

vitæ : 1° quando id quod lex præcipit est tanti momenti, ut iudicio prudentum præponderet vitæ unius particularis. Patet in milite cui præceptum est non deserere stationem, seu irrupere in hostem cum evidenti mortis periculo. 2° Quando transgressio legis cederet in contemptum religionis aut potestatis ecclesiasticæ, ut accidit Machabæis, quibus tyranni comminabantur mortem, nisi manducarent carnem porcina in contemptum legis; quia præstat non contemni legem, fidem, aut religionem, quam conservari vitam unius privati. Sed de his specialiter dum de Legibus.

ARTICULUS V

Utrum concupiscentia causet involuntarium?

Dico 1° : Concupiscentia antecedens potius causat voluntarium, quam involuntarium¹. Quia aliquid dicitur voluntarium, ex eo quod voluntas in id fertur. Atqui per concupiscentiam voluntas inclinatur ad volendum id quod appetit concupiscentia. Ergo concupiscentia potius facit ad hoc quod aliquid sit voluntarium, quam involuntarium.

Dico 2° : Concupiscentia antecedens auget voluntarium absolutum, minuit perfectum et liberum.

Probatur prima pars. Voluntarium absolutum est quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis materialiter, quale competit brutis. Atqui concupiscentia antecedens facit quod voluntas, prævia cognitione finis materialiter, feratur in objectum majori impetu et inclinatione quam si non esset concupiscentia. Ergo. — Prob. min. 1° Ratione; quia, impellente concupiscentia, intellectus proponit voluntati objectum ut magis concupiscibile, ideoque majori efficacia prosequendum. 2° Experientia; videmus enim eos qui amore aliquod objectum prose-

1. Hic a. 7, o.

quantur, majori impetu in illud ferri, quam si hac passione non afficerentur. Ergo.

Probatur secunda pars. Voluntarium perfectum est quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis formaliter ut finis, id est cum cognitione dignitatis finis et proportionis mediorum ad illum. Atqui concupiscentia minuit, imo quandoque tollit hanc cognitionem. Ergo. — Prob. min. Quia minuit iudicium rationis, imo quandoque tollit et amentiam causat, ut experientia constat. Atqui cognitio finis formaliter ut finis pertinet ad iudicium rationis. Ergo.

Probatur tertia pars. Voluntarium liberum est quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis sub indifferentia propositi. Atqui concupiscentia antecedens minuit hanc indifferentiam. Ergo. — Prob. min. 1° Quia minuit iudicium rationis, ut modo dicebam. 2° Quia concupiscentia facit quod intellectus proponat voluntati in objecto prosequendo omnes rationes boni concupiscibilis et defecibilis, et minus attendat ad rationes boni honesti quibus ab illo objecto removeretur voluntas. Ergo minuit indifferentiam.

Hinc *inferes*, concupiscentiam antecedentem minuere peccatum, quatenus turbat iudicium et minuit liberum, imo quandoque eximere a toto peccato, quando ita est vehemens, ut tollat omnino iudicium rationis et indifferentiam, atque amentem reddat.

ARTICULUS VI

Utrum ignorantia causet involuntarium?

Ignorantia ex parte voluntatis dividitur in ignorantiam antecedentem, concomitantem et consequentem¹; et de ignorantia hoc sensu sumpta hic est quæstio. Ignorantia antecedens est quæ præcedit omnem actum voluntatis,

1. Hic a. 8, o.

ita ut nullatenus sit volita seu voluntaria, est tamen causa volendi seu faciendi id quod non fieret, si scientia adesset: ut in eo qui, adhibita sufficienti diligentia, occidit amicum, putans invincibiliter occidere cervum, quem non occidisset, si scivisset esse amicum. Dicitur etiam invincibilis. Non tamen coincidunt ignorantia antecedens et invincibilis, addit enim antecedens, prout hic sumitur, supra invincibilem simpliciter, quod sit causa cur aliquid fiat, quod non fieret, si abesset; quod non competit omni ignorantiae invicibili, ut patet in ignorantia concomitante, quæ, ut modo dicam, est invincibilis, et tamen non antec edens. Unde omnis ignorantia antecedens est invincibilis, sed non e contra.

Ignorantia concomitans est quæ etiam præcedit omnem actum voluntatis, neque est ullatenus volita, et ideo invincibilis, ut antecedens, sed non est causa volendi aut faciendi id quod non fieret, si scientia adesset. Patet in eo qui occidit inimicum, putans invincibiliter occidere cervum, quem perinde occidisset, si scivisset esse inimicum.

Ignorantia consequens est quæ sequitur actum voluntatis, ita ut sit volita vel directe vel indirecte, estque causa cur aliquid fiat quod non fieret, si abesset. Quæ est directe volita, dicitur affectata, ut cum quis directe et positive vult aliquid ignorare, sive ut liberius peccet, sive ut excusationem habeat in peccatis, sive propter aliud, de quo intelligitur illud *Job, XXI, 14: Impii dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Et illud *Psal. XXXV, 4: Noluit intelligere ut bene ageret.* Indirecte volita est, dum quis, licet non velit directe et positive ignorare, negligit tamen addiscere; unde hæc ignorantia dicitur voluntaria seu volita indirecte et in sua causa, scilicet negligentia addiscendi. Quæ negligentia, si fuerit gravis, ita ut vel nulla vel levis admodum diligentia pro rei qualitate adhibita fuerit, dicitur ignorantia crassa et supina; si vero negligentia fuerit levis, ita ut fuerit adhibita diligentia notabilis in discendo, non tamen omnino sufficiens, ignorantia dicitur levis aut levissima, pro quantitate diligentiae adhibite in discendo, respective ad qualitatem rei addiscendæ. His notatis,

Dico 1^o: Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter¹; quia opus ex illa procedens fit sine cognitione, et est, quoad circumstantiam ignoratam, contra inclinationem vel actualem, vel habitualement et interpretativam agentis; non enim vellet facere, si ignorantia abesset. Patet in illo qui, sufficienti diligentia adhibita, putans invincibiliter occidere cervum, occidit amicum. Quamvis enim hæc occisio, quoad substantiam actus, et ut est occisio ut sic, sit voluntaria, non tamen quatenus est occisio amici; sub ea enim ratione repugnat inclinationi occidentis, et fit sine cognitione.

Dico 2^o: Ignorantia concomitans non facit voluntarium simpliciter; quia opus ex illa procedens fit sine cognitione, seu cum ignorantia quæ nec in se nec in sua causa est voluntaria, cum sit invincibilis. Neque facit involuntarium positive et contrarie; quia istud opus non est contra inclinationem agentis, perinde enim fieret, si cognitio adesset. Sed facit involuntarium negative, seu non voluntarium; quia fit sine cognitione requisita ad voluntarium. Patet in eo qui, putans invincibiliter occidere feram, occidit hostem, quem perinde occidisset, si cognovisset.

Dico 3^o: Ignorantia consequens causat voluntarium simpliciter, quia ipsa est simpliciter voluntaria, sive directe in se, sive indirecte in causa, scilicet negligentia discendi. Ergo opus ab ea procedens est voluntarium simpliciter; qui vult enim causam, vult et effectum. Si dicas quod fiat sine cognitione, respondeo quod fiat quidem sine cognitione formali et in se, non tamen sine cognitione virtuali et in sua causa, nempe in ignorantia quæ potuisset et debuisset depelli. Ille autem dicitur virtualiter cognoscere, qui potuit et debuit cognoscere et noluit. Causat tamen involuntarium secundum quid; quia opus ex ea sequens est contra aliqualem inclinationem agentis, si enim adesset scientia, non fieret, ut supponitur. Quod si supponas ita esse affectatam ignorantiam, ut, si abesset,

1. Ibid.

opus nihilominus fieret; ut si, v. g., quis ita scientiam repudiet, non ut ea præsente a peccato abstineat, sed ut sine remorsu peccet: fateor quod tunc non erit involuntarium secundum quid, sed etiam non erit ignorantia consequens ad sensum conclusionis, quæ nempe sit causa cur fiat id quod non fieret, si abesset.

Ex dictis colliges, ignorantiam antecedentem omnino excusare a peccato, quia causat involuntarium simpliciter: concomitantem vero non omnino excusare, quia non tollit omnem voluntatem sive habituaalem, sive actuaalem conditionatam peccandi; neque etiam accusare, quia est involuntaria et invincibilis. Unde, in casu posito, qui occidit inimicum, putans invincibiliter occidere feram, manet semper reus homicidii interni, propter malam voluntatem occidendi inimicum, si cognovisset; excusatur tamen ab homicidio externo et a pœnis ac censuris, quæ non nisi propter opus externum feruntur, quia opus externum non est voluntarium. Consequens vero causat peccatum, quia causat voluntarium simpliciter; minuit tamen, quia causat involuntarium secundum quid, et eo magis minuit, quo levior fuerit, ita ut quandoque ex mortali faciat veniale.

Quod hic dixi de ignorantia, potest dici de inadvertentia, quæ est quædam ignorantia actualis, aut saltem ignorantia equiparatur in ordine ad voluntarium. Hæc de præsenti materia nunc sufficiant, de ea namque redibit sermo, dum de causis peccatorum.

DISSERTATIO II

DE VOLUNTARIO LIBERO, SIVE DE
LIBERTATE CREATA

D. Thomas, I p., q. 83; q. 24 de Veritate; q. 6 de Malo, et alibi.

ARTICULUS I

Prænotanda.

Nota 1^o inter varias acceptiones libertatis duplicem potissimum distingui.

Prima est libertas a violentia seu coactione, et dicitur spontaneitas seu lubentia. Reperitur in omnibus qui non per vim extrinsecam compulsi, sed ex inclinatione, quamvis necessitante, agunt. Hac libertate beati amant Deum, Deus amat seipsum. Extenditur etiam ad bruta, quin imo et ad res inanimatas. Sic aqua dicitur sponte fluere, lapis sponte descendere deorsum.

Secunda libertas est a necessitate, et est immunitas, non solum a coactione seu violentia, sed etiam a naturali instinctu et determinatione ad unum sine potentia ad oppositum: qua libertate gaudet qui potest velle vel non velle, hoc vel illud velle. Dicitur libertas indifferentia, quia est ad opposita. Et cum sit duplex indifferentia, scilicet quoad specificationem et exercitium, ita est duplex libertas a necessitate, scilicet specificationis et exercitii. Libertas exercitii, quæ etiam dicitur contradictionis, est ad actum et ejus omissionem, qua nempe potest quis agere et non agere, amare et non amare. Libertas specificationis est ad actus specie diversos, qui actus si sint contrarii, ut amare et odisse, sedere et stare, dicitur libertas contrarietatis; si sint actus disparati, ut orare vel studere, dicitur libertas disparitatis. In hac libertate a necessitate esse libertatem arbitrii nunc supponimus, et infra probabimus.